

I. N. 7.

DISPUTATIO THEOLOGICA

PRIMA,

DE

FIDE CORDIS

ET

CONFESSIONE ORIS,

Ad locum Rom. X, 10.

Quam

Auxiliante DEO Triuno

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Maxime Reverendi, Amplissimi atque
Excellentissimi DOMINI.*

BERNHARDI WAGNERI,

SS. Theol. D. & P. P. Ordinarii ac Senioris, Con-
vent. Eccles. PRÆSIDIS Gravissimi, Cap. Thom.

Canonici Meritissimi, h. t.

RECTORIS MAGNIFICI,

DN. Patroni, Fautoris & Præceptoris sui

ad dies vitæ pie & demisse colendi,

In SOLENNI Eruditorum Congressu
defendere conabitur

JOHANNES JACOBUS HEUS, Argentinensis.

Ad diem 16 Mensis Octobris Anno MDCCIX.

Horis locoque solitis.

Coll. diss. A
228, 43

ARGENTORATI,

LITERIS JOHANNIS PASTORII.

*50
LXIX. 18. 17*

Diss. A. 228/43.

ILLUSTRI
GRATIOSÆ LIBERALITATIS
OTTONIANÆ
COLLEGIO,

VIRIS

MAGNIFICENTIA, GENE-
RIS NOBILITATE, MUNERUM MERITO-
RUMQUE AMPLITUDE, MAXIME REVE-
RENDA DIGNITATE, CONSILIORUM GRA-
VITATE, EXPERIENTIA PRUDENTIAQUE
CONSPICUIS AC EMINEN-
TIBUS,

*D^{NN}. Patronis suis Magnis, omni
Pietatis atque Officii cultu colendis*

Disputationem hanc Theologicam
in sui, suorumque Studiorum ulterio-
rem commendationem


Sacram esse jubet

TANTORUM NOMINUM

devotus Cultor



JOHANNES JACOBUS HEUS,
Argentinenfis.



I. N. J.



Aria quidem sunt hominum vicia, nullum tamen DEO magis invivum est, ac mendax hypocrisis, qua homines aliud in pectore gerunt, & aliud externo gestu profitentur. Hæc fraus, uti à tota hominis vita, omnibusque ejus actionibus quam longissime remota esse debet; ita imprimis à Religione & DEI cultu, alias enim non religio, sed illusio erit DEO intolerabilis, quemadmodum ex verbis Ejus apparet, quibus per Jesajam Cap. XXIX, v. 13. & 14. Israelitas hunc in modum allocutus est: *Propterea quod appropinquat populus hic, (&) ore suo ac labiis suis honorat quidem Me, sed cor ejus procul recessit à Me, factusque est timor eorum erga Me præceptum hominum doctum. Ideo, ecce, Ego addam mirabiliter tractare populum hunc mirabiliter agendo, & cum miraculo, ut pereat sapientia sapientum ejus, & intelligentia intelligentium ejus se occultet.* Quoniam vero cum antiquis Judæorum erroribus non cessavit hoc vitium, sed in hodiernum usque diem, in societate hominum tam civili quam ecclesiastica libere grassatur, ideo communi bonorum omnium censura notari meretur; ab omnibus vero omni studio & conatu eo contendendum est, ut in Sacro-Sancto Religionis negotio, inter internum animi affectum & gestum vitæ externum, inter fidem cordis &

A

con-

confessionem oris sincera intercedat consensus. Quam confessionem à suis etiam auditoribus omnibusque veris Christianis requisivit Apostolus, in Epist. ad Romanos Cap. X, v. 10. eos hunc in modum exhortatus: *Corde creditur ad justitiam, ore vero fit confessio in salutem.* Ea etiam de causa verba hæc Apostoli Dissertatione Academica expendere nobis visum est. DEUS T.O.M. suo Spiritu & Gratia nobis adsit, & institutum hoc ita dirigat, ut ad Sui Nominis Gloriam, & Ecclesiæ ædificationem feliciter succedat.

Verba loci. §. I

ANte omnia ipsa Apostoli verba proferemus, & quidem integra, cum iis quæ proxime antecedunt & sequuntur, quæ in Epist. ad Rom. Cap. X, v. 8. 9. & 10. sic leguntur: Τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως ὃ κηρύσσομεν. ὅτι ἐὰν ὁμολογήσῃς ἐν τῷ σώματί σου κύριον Ἰησοῦν, καὶ πιστεύσῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου ὅτι ὁ θεὸς αὐτὸν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, σωθήσῃ. καρδίᾳ γὰρ πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην. σῶματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν. λέγει γὰρ ἡ γραφή. πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ, ἔσται σωθήσεται. Juxta Versionem Vulgatam Latinam: *Hoc est Verbum fidei quod predicamus. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura, omnis qui credit in illum non confundetur.* Juxta Schmidtianam: *Hoc est Verbum fidei, quod predicamus: Quod si confessus fueris ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde tuo, quod Deus ipsum resuscitaverit ex mortuis, futurum sit, ut salveris. Corde enim creditur in justitiam, ore vero fit confessio in salutem. Dicit enim Scriptura: Omnis qui crediderit in Ipsum, non pudebit.* Juxta Bezaanam: *Hoc est Verbum illud fidei quod predicamus: Nempe quod si confessus fueris ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde tuo, quod Deus eum excitavit à mortuis, servaberis. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura: Quisquis credit in Eum non pudebit.*

In

In textu Græco aliqua occurrit varia Lectio, quam Curcellæus annotavit, quod, nempe, vocula *πᾶς*, omnis, in quibusdam exemplaribus non habeatur. Apud Esajam quidem Cap. XXVIII. vers. 16. ad quem locum respexisse videtur Apostolus, vocula hæc non legitur; ille enim indefinite sic scripsit: *qui crediderit*: exinde tamen non licet colligere, voculam illam non esse genuinam nec à Paulo adhibitam, quippe qui ad sensum loci Prophetici declarandum, illam jure addere potuit, & quod ipse Christus Joh. III, 16. fecit, universaliter loqui: *Omnis qui credit*, non peribit sed habebit vitam æternam. Versiones vero allatas quod attinet, inter illas nulla notatu digna differentia occurrit, quæ quidem sensum turbare possit; hinc in examine illarum diutius non immorabimur.

§. II. Scopus & primaria Apostoli in verbis allegatis intentio est, tradere summam doctrinæ de consequenda vera coram DEO justitia, & salute æterna. Hoc enim partim ex his ipsis, partim vero ex præcedentibus verbis manifestum est. Nam ab initio statim Capitis X. notaverat Apostolus istum Judæorum errorem, quo, specioso quidem perverso tamen zelo ducti, per legem ejusdemque opera justitiam coram Deo æternamque salutem quærendam esse sibi persuaserunt. Hoc vero errore rejecto mox veram subjunxit doctrinam, ostenditque; Christum implevisse legem, ita ut per illius gratiam justitiam & vitam æternam consequerentur omnes qui in ipsum credunt: His dictis, porro differentiam proponit Apostolus inter justitiam Legis, & justitiam Evangelii, aitque, legem illos tantum justos agnoscere iisque vitam promittere, qui perfecte illa omnia præstant, quæ ipsa exigit: Evangelium vero de Christo faciliorem propioremque viam monstrare, qua homines ad justitiam vitamque æternam pervenire possint; quam viam Moses quidem dicto quodam paululum obscuriore indicaverit, Christus vero verbo longe clariore expresserit, nempe, verbo Evangelii, quod Ejus jussu Apostolus tunc prædicavit, ideo enim vers. 8. dixit: *Hoc est verbum illud fidei quod predicamus*. Evangelium itaque ab Apostolo prædicatum est *verbum fidei*, quia docet, homines per fidem in JE-

Scopus &
Connexio
Verborum.

sum Christum, qui legem Dei in nostri vicem perfecte implevit, veram coram Deo justitiam vitamque æternam consequi. Hujus autem verbi Evangelici summam aliquam subjungit Apostolus, & una qualis illa fides justificans & salvans sit exponit, quando sic pergit: *Quod si confessus fueris ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde tuo, quod DEUS Ipsum resuscitavit ex mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem:* perspicue hac ratione demonstrans, fidem illam non esse hypocriticam, qua quis aliud corde premit, & aliud ore profert; sed esse sinceram, qua homo illud quod corde credit, etiam ore suo aperte & constanter profitetur, adeoque in homine, qui veram coram Deo justitiam habere & conservare, tandemque ipsam vitam æternam consequi vult, fidem cordis & confessionem oris intimo atque indivulso nexu invicem esse conjunctas.

Fides ejusq;
Origo.

§. III. Quod autem fidem attinet & quæ ad ejus naturam exacte cognoscendam faciunt, indicantur illa ab Apostolo in verbis nostris, quæ porro ordine evolvemus. Et quidem Originem fidei innuit Apostolus, quando Evangelium de Christo quod prædicavit *verbum fidei* appellat, illud enim sic dicitur, non propterea tantum, quia de fide in Christum agit eandemque ab auditoribus exigit; sed ideo etiam, quia Deus per verbum Evangelii fidem in cordibus audientium operatur; placuit enim Deo hoc medio uti, eumque in finem Apostolos suos, & inter illos Paulum quoque, in orbem universum mittere, ut verbum Evangelii hominibus prædicarent, hique ex verbo prædicato & decenter audito fidem conciperent, uti Marcus Evangelista testatur Cap. XVI, 15. *Dixit Dominus discipulis suis, inquit, euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creature, qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur.* Ex professo autem Apostolus noster Romanos suos docuit, Deum per verbum Evangelii hominibus prædicatum operari fidem in cordibus audientium, & hunc esse divini ordinis processum, quando in verbis Capitis X. subsequentibus v. 14. & 15. illos hunc in modum allocutus est: *Quomodo invocabunt,*

bunt, in quem non crediderunt? quomodo vero credent, quem non audiverunt? quomodo vero audient sine predicante? quomodo vero predicabunt, si non mittantur? &c, *Quare fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* De qua re alibi contra Fanaticos pluribus actum est.

§. 4. Indicatur porro Materia sive objectum, circa quod fides & Confessio versatur, quando Apostolus ait: *Quod si confessus fueris ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde tuo, quod Deus ipsum resuscitaverit ex mortuis, salvus eris.* Describunt enim hæc verba objectum fidei speciale, quod est, Dominus Jesus pro nobis mortuus, & ex mortuis resuscitatus. Generale quidem fidei objectum sunt omnia illa, quæ Divinitus nobis revelata sunt, propterea enim quia divinitus revelata sunt, & Dei ipsius auctoritate & veritate nituntur, certa fide à nobis acceptanda sunt, ita ut nemini de veritate illorum dubitare liceat. Inter illa tamen universa, sunt alia quæ remotiorem, alia vero quæ propinquiorem cum justitia & salute nostra connexionem habent, inter hæc præcipuum est dogma, de Gratia Dei per Jesum Christum nobis data, quod justitiæ & salutis nostræ fundamentum est, quod fides nostra speciali ratione apprehendit, eidemque firmiter innititur: quod etiam respexit Apostolus in verbis nostris. Facit equidem mentionem tantum Resurrectionis Christi, *quod si, inquit, credideris in corde tuo, quod Deus ipsum resuscitaverit ex mortuis, salvus eris:* non tamen solam eam intelligit, sed cætera & quæ necessariam cum illa connexionem habent una involvit: nam resurrectio Christi à mortuis finis & complementum est eorum, quæ Christus ad justitiam vitamque nobis restituendam in hoc mundo præstitit, adeoque hanc imprimis nominavit Apostolus, ita tamen ut indicare voluerit, cætera quoque quæ antecesserunt, quæ à Domino præstita, quæque ab Eodem nobis ad justitiam & salutem præscripta sunt, pari sensu subintelligenda & pari fide acceptanda atque observanda esse; qualia sunt, Gratia Dei Patris, Filium suum unigenitum mundo servatorem atque Redemptorem dantis; Gratia Jesu Christi, Filii Dei, in mundo apparentis, & pro mundo morientis & ex morte resurgentis: Gratia Spiritus Sancti,

Objectum
speciale,
Gratia J. C.

per verbum Evangelii homines illuminantis, in cordibus illorum fidem in Jesum Christum accendentis, & de divina verbi hujus veritate in illis testificantis, eademque confirmantis. Adeoque Gratia totius Sacro-Sanctæ Trinitatis, cujus agnitionem vera illa in Jesum Christum fides per quam justificamur & salvamur involvit. Neque enim aliquis in Christum Jesum recte credere posset, si non crederet una quoque in Deum Patrem, Sanctumque Spiritum, hæc, quippe, inter se conjunctissima sunt, ut Christus ipse diserte testatur Matth. XI, 27. *Nemo, inquit, cognoscit Filium, nisi Pater, neque Patrem quisquam cognoscit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* & Johannis Cap. VIII, v. 19. *Qui Filium novit & in Eum credit, ille etiam Patrem novit, & in illum credit.* Filium autem Dei, Jesum Christum, nemo cognoscere, & Dominum appellare, atque in Eum credere potest, nisi per Spiritum Sanctum, ut Apostolus in I. Epist. ad Corinth. Cap. XII. v. 3. docet.

In Sacra Scriptura tanquam universalis descripta,

§. V. Hæc vero Gratia Dei Trinunius sic credenda est, prout in Sacra Scriptura, ex Dei auctoritate, nobis patefacta & proposita est, nempe, nequaquam ut Gratia particularis, paucis tantum hominibus facta; sed ut gratia universalis, omnibus hominibus & toti mundo exhibita, ita ut Deus Pater non paucorum tantum, sed omnium voluerit miseri; ut Dei Filius, non pro paucis, sive electis tantum, sed pro omnibus hominibus voluerit mori. Ut Spiritus Sanctus non paucos tantum, sed omnes vocare ad pœnitentiam, & Gratiam Dei, per quam credere possint, omnibus per Evangelii prædicationem offerre velit. Hunc enim in modum tota Scriptura Sacra hanc Dei gratiam nobis describit, & in primis Apostolus noster, in Epist. ad Roman. Cap. XI, v. 32. *Conclusit Deus omnes, inquit, sub incredulitatem, ut omnium misereretur.* Et in 2. Epist. ad Corinth. Cap. V. v. 14. *Charitas Christi urget nos, estimantes hoc, quod si unus pro omnibus mortuus est, omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed Ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.* Similiter Actor. Cap. XVII, v. 30. *Tempora ignorantiae dissimulans Deus nunc annunciat hominibus (per Evangelii prædicationem) ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in justitia, per*
virum

virum per quem decreverat; fidem offerens omnibus, postquam suscitavit Eum à mortuis. Hæc Gratia Dei alias speciali nomine, Gratia Domini nostri Jesu Christi in Scriptura S. vocatur, idque ideo, quia Ille sua passione, morte ac resurrectione illam nobis acquisivit, hoc enim sine mortuus est Christus & resurrexit, ut Gratiam Dei, peccatis nostris amissam nobis restitueret, ut pro peccatis nostris iræ justitiæque Divinæ satisfaceret, Deo nos reconciliaret, æternamque Redemptionem inveniret: hinc etiam, qui Christum confiteri, & credere vult, Eum mortuum, & à Deo ex mortuis resuscitatum esse; hoc sensu illud credere tenetur, ut statuatur, Christum Gratiam & beneficia illa sua passione & resurrectione nobis impetrasse ac meruisse, adeoque Eidem justitiam & salutem nostram acceptam ferendam esse: hac mente locutus est Apostolus in verbis nostris: *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus Illum suscitavit à mortuis, salvus eris.* Hanc enim fidem Sancti omnium temporum habuerunt, in Veteri quidem Testamento Messiam ut venturum adhuc respicientes, in Novo autem ut præsentem amplectentes: id quod S. Petrus Actor. XV. Cap. II. vers. hunc in modum confirmavit: *Nos Christiani in Novo Testam. per Gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi, Patres nostri in Veteri Testam.*

§. 6. Sic ergo fides apprehendit Christum, Ejusque Passionem & resurrectionem, & Gratiam Dei nostramque cum Deo reconciliationem per Eundem nobis partam: & quidem ut objectum & fundamentum justitiæ & salutis nostræ unicum, ita ut nihil ei addatur, tanquam ad consequendam justitiam & salutem æternam necessarium; ut Christo, Mediatori unico, non adjungantur mediatores alii, ut Merito Christi non addantur merita atque opera nostra, vel merita creaturarum aliarum, sive Angelorum, sive hominum. Atque hanc mentem esse Apostoli & Apostolicæ doctrinæ sententiam, manifestis argumentis ostendi potest. Et quidem unicum Mediatorem Christum esse, quem fides nostra apprehendat, S. Paulus I. Tim. II, 5. testatur, *unus est Deus, inquit, unus etiam Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit pretium redemptionis semetipsum pro omnibus.* Id ipsum quoque S. Petrus confirmat, quippe qui

Objectum & Fundamentum Fidei unicum.

Actor.

Actor. IV, 12. *Non est, inquit, in aliquo alio salus. Nec est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, nisi Nomen Domini nostri Jesu Christi, quem vos (Judæi) crucifixistis, quemque Deus suscitavit è mortuis.* Quin Christus ipse, priusquam mortuus èque mortuis resuscitatus est, hoc ipsum Apostolis & Christianis omnibus, tanquam certa fide tenendum, disertis verbis inculcavit, Joha. Cap. XIV, v. 6. *Ego sum, inquit, via & veritas & vita. Nemo venit ad Patrem nisi per Me.* Meritis vero Christi & Gratia Ejus, non opera nostra, non alia merita, tanquam necessaria ad justitiam & salutem addenda esse, manifestis iterum testimoniis docuit Apostolus, quemadmodum ex illis imprimis, quæ inter ipsum & Pseudo-Apostolos acta sunt constare potest. Cum enim hi doctrinæ de Gratia Jesu Christi pro nobis mortui & resuscitati, opinionem de necessitate operum legis adjungerent, docerentque Christianos, nisi circumciderentur secundum Legem Moïsis, non posse eos salvari, ut Lucas Actor. XV, 1. errorem eorum proponit: Una cum reliquis Apostolis etiam Paulus noster fortiter contradixit, docuitque passim in Epistolis suis, errorem nullo modo ferendum esse, si quis Gratia Christi pro nobis mortui ac resuscitati, opera legis & propria sua merita, tanquam ad justitiam & salutem consequendam necessaria conjungere vellet. Manifesta de hac re sunt verba ejus in Epist. ad Gal. C. II. v. 16. *ubi scientes, inquit, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, ideo & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Et in Epist. ad Ephes. Cap. II, v. 8. idem repetit, *Gratia, inquit, estis salvati, per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur.* Quin eousque improbavit errorem hunc Apostolus, ut palam professus fuerit, illos, qui in Christum pro nobis mortuum credere quidem, opinionem tamen illam de necessitate operum legis ad consequendam justitiam & salutem superaddere velint, hoc ipso Christum ipsum amittere, & Gratia Ejus & salutari Passionis & Resurrectionis fructu excidere; quando in Epist. ad Gal. Cap. II, v. 21. & Cap. V, v. 2. 4. auditores suos hunc maxime in modum allocutus est: *Si per legem justitia, ergo gratis*
Chri-

Christus mortuus est. Ego Paulus dico vobis, quod si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit, Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini, à Gratia excidistis. B. Hieronymus in Commentario ad Cap. V. Epist. ad Gal. ad posteriora hæc Apostoli verba, sequentia, pauca quidem, emphatica tamen annotat: *Perdit ergo Gratiam Christi, & Evangelium quod tenuerat amittit, qui in aliqua observatione legis se justificari putat.* Quicumque itaque, juxta Apostoli verba, ore suo confiteri Dominum Jesum, & corde suo credere vult, quod Deus illum resuscitaverit à mortuis, & Gratiam Christi, & mortis & resurrectionis Ejus fructum tenere, illi non licet aliquid Christi Gratia, tanquam necessarium ad justitiam & salutem consequendam addere, atque putare, se in aliqua observatione legis justificari, vel per propria opera atque merita salvari.

§. VII. Quemadmodum vero Christus ipse ejusdemque Passio & Resurrectio & Gratia & Redemptio per illum nobis parta fidei & confessionis objectum est: ita etiam Verbum Christi atque Evangelium, in quo Dominus seipsum & Gratiam suam nobis revelavit & describi curavit. Tam arcta enim inter Christum Verbumque Ejus intercedit connexio, ut nemo in Christum credere Eundemque confiteri possit, nisi quoque verbum Ejus vera fide amplectatur & confiteatur. Etsi quis Christi Verbum sperneret & abnegaret, is hoc ipso Christum sperneret & abnegaret, & si quem puderet verbi, illum quoque puderet Christi, quippe qui verbi sui contemptum sibi applicat, & talibus verbi sui contemptoribus iram atque indignationem suam comminatur; quemadmodum ipsemet testatur, Luc. IX, 26. *Quemcumque, inquit, pudebit mei & meorum verborum, illius Filium hominis pudebit, quando venerit in gloria sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.* Et Joh. XII, 48. *Qui spernit Me, & non accipit verba mea, habet qui judicet ipsum. Verbum quod locutus sum, illud judicabit illum in extremo die.* Hic diserte testatur Dominus, contemptum Verbo suo illatum, inferri sibi ipsi, adeoque contemptum Verbi cum contemptu Sui conjunctum esse: Ex opposito vero alibi testatur, eos qui ex amore & cum vera fide verbum recipiunt, ipsum quoque recipere, & vice versa, eos qui ipsum amant, & vera fide amplectuntur,

B amplecti

amplecti quoque & amare Verbum suum, quando nempe, Joh. XIV, 23. ait: *Si quis dilexerit Me, Verbum meum servabit, & Pater meus diliget illum, & ad illum veniemus, & mansionem apud illum faciemus. Qui non diligit me, verba etiam mea non servabit.* Hæc de fidei & confessionis objecto notanda fuerunt, quod in loco Apostoli dicitur, Dominus Jesus, quem Deus resuscitavit ex mortuis, paucis quidem verbis, sed plura alia necessario connexa complectentibus: uti etiam ab aliis Interpretibus recte observatum est, è quibus Cornelius à Lapide in Commentario ad locum nostrum sequentem in modum differit: *Nota: ut quis justificetur, non solum Christi Resurrectionem, sed plura alia debet credere de Patre, de Spiritu S. & de ipso Christo, scilicet, quod ipse pro nobis sit factus homo, quod sit crucifixus, quod descenderit ad inferos, quod sit Filius Dei, Redemptor &c.* Apostolus tamen solum hic ponit Resurrectionis Christi articulum, quia ille, quasi terminus ceteros præsupponit & complectitur. Franciscus Gomarus vero hæc annotat: *Fidei objectum proponitur synecdochice, nempe Resurrectio Christi: quia illa mortem & Nativitatem Christi præsupponit, ac simul innuit, & continet.*

Christi Resurrectio
Deo adscripta.

§. VIII. Hæc autem Christi Resurrectio Deo adscribitur, ait enim Apostolus: *Si confitearis ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris.* Quod, quo sensu fiat, etiam expendendum est. Deo adscribitur etiam nostra resurrectio, uti ex Scriptura notum est; quemadmodum enim credimus, quod Deus Christum resuscitavit; ita credimus quoque Deum nos aliquando resuscitaturum esse. Sed magna differentia est in sensu utriusque Phrasis, quando hoc loco ab Apostolo dicitur: Deus Jesum Christum resuscitavit ex mortuis: & quando alibi dicitur de hominibus aliis: Deus illos resuscitabit ex mortuis. Nostra nimirum resurrectio ex parte nostra mere passiva est; nos enim qui nullas resurgendi vires habemus & nullo modo resurgere possumus, à Deo resuscitamur. Christi vero resurrectio non est talis, sed est activa; ita enim surrexit, ut ipse se ipsum resuscitaverit, & tanquam vivus atquæ æternus Dei Filius, Divina virtute, quam secundum Divinam suam naturam cum Deo Patre

Patre

Patre communem habet, carnem suam mortuam vivificaverit. Et hanc Divinam virtutem, qua Christus, in quantum Deus, carnem suam mortuam resuscitavit, Dominus ipse alibi indicavit, quando Joh. II, 19. ad templum Corporis sui respiciens, Judæis dixit: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Iterumque Cap. X, 18. *Nemo tollit animam meam à Me, sed Ego pono eam à Me ipso: potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Ad priorem locum B. Augustinus sequentia annotat: *Quid facit Pater sine unico Filio suo? Nam audi, quia & ipse Deus erat. Solvite templum hoc, & tribus diebus excitabo illud. Nunquid dixit: solvite templum, quod triduo Pater meus resuscitet? sed quomodo cum Pater suscitatur, & Filius suscitatur: sic cum Filius suscitatur, & Pater suscitatur: quia Filius dixit: Ego & Pater unum sumus.* Ad posteriorem vero B. Gregorius hunc in modum differit: *Dominus non ut nos suscitatus est, quia nostra resurrectio in finem seculi est dilata. illius vero die tertio celebrata. Et nos quidem per Illum resurgimus, nam ipse per se, neque enim qui Deus erat, sicut nos, ut ab alio resuscitari potuisset, indigebat. In eo ergo Ejus resurrectio distat à nostra, quod non per nosmet ipsos resurgimus, sicut ille: pro eo enim quod simpliciter homines sumus, adjutorio superiori, ut resurgere valeamus, indigemus. Ille autem ejusdem resurrectionis vim cum Patre, & Sancto Spiritu Deus exhibuit.*

§. IX. Præter Fidei objectum, de quo hæcenus diximus, Fidei Sub-
indicat quoque Apostolus Ejusdem Subjectum, quod Cor ap-
pellat, ait enim: *ἐὰν μεύσῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου, Si in corde tuo credideris &c.* iterumque, *καρδία ἢ μεύεται εἰς δικαιοσύνην, corde enim creditur ad justitiam.* Quid hoc vocabulo denotetur ab Apostolo paucis indicandum est: & quidem non intelligendam hoc loco esse parvam illam & carneam humani corporis particulam, quam alias communiter sic appellamus, facile constat. Verum ex usu Scripturæ Sacræ, quæ de corde hominis sæpissime loquitur, eidemque fidem, charitatem &c. tribuit, imprimis æstimandum est. Designat nimirum illa hoc nomine internam hominis partem, animam, cum facultatibus suis, intellectu & voluntate, & cum cogitationibus & motibus

earundem : dum autem Apostolus noster Cor ab ore distinguit, & isti fidem, huic vero externam confessionem ex fide Cordis procedentem adscribit, indicat, se per cor internum illum fontem, sive, interiore illam radicem intelligere, unde verba & opera hominis externa profluunt. Ea etiam de causa Scriptura Sacra cor hominis comparat cum thesauro aliquo recondito, unde hominis cogitata, dicta & facta, eaque varia, tam bona quam mala emanant : sic enim Christus ipse Matth. XII, 34. 35. *ex abundantia cordis, inquit, os loquitur : bonus homo de bono thesauro cordis profert bona; & malus homo de malo thesauro profert mala* : Eleganter autem & congrue omnino anima cordis nomine insignitur, ut B. Augustinus Libr. IV. de Anima & ejus orig. c. 6. exponit, *non ignoro, inquit, cum audimus, ut ex toto corde diligamus Deum, non hoc dici de illa particula carnis nostrae, quae sub costis latet : sed illa, in qua cogitationes fiunt. Quae merito appellatur hoc nomine, quia sicut motus non cessat in corde, unde se pulsus diffundit usquequaque venarum, ita non quiescimus aliquid cogitando versare. Complecti autem cor intellectum, & voluntatem, harumque facultatum motus recte agnovit Cornelius à Lapide, in Commentario ad Cap. XII, 34. Matth. sequentia annotans: *Ex abundantia cordis, id est, ex eo quod in corde abundat, quod saepe cor volvit; cogitat, amat, hoc os loquitur, si cor, id est, mens & voluntas abundet bonitate & charitate, loquitur bona & amorosa; si felle, malitia & invidia, loquitur fellea, livida & mordacia.**

§. X. Hoc cor hominis, id est, mens & voluntas, unde omnia hominis cogitata, dicta & facta procedunt, est illud subjectum in quo Fides est. Non tamen fides hæc in Jesum Christum, de qua Apostolus loquitur, & *Corde, ait, creditur ad justitiam* : in eo est à natura ; verum ob naturam hominis corruptam etiam cor ejus corruptum, tenebris infidelitatis obscuratum, & ad quævis mala propensum est, adeo ut, quemadmodum è corrupto fonte non nisi corruptæ aquæ fluunt ; ita & è corrupto corde non nisi corruptæ cogitationes & actiones ebulliant. Hanc depravatam humani cordis conditionem Deus ipse innuit, quando Gen. VI, 5. & VIII, 21. ait : *Omnis cogitatio cordis humani & omne ejus figmentum tantum primum est*

*est ad malum ab adolescentia omni tempore. Ut itaque purificetur cor humanum natura tam fœde coinquinatum, & fides illa qua creditur ad justitiam in illo gignatur, Gratia DEI opus est, qui etiam per Verbum suum, eo modo ut supra §. III. diximus, fidem in cordibus operatur, & per fidem illa purificat & sanctificat, siquidem homines Gratia operanti non resistant, & donum oblatum acceptare non recusent, B. Augustinus hoc ipsum suo testimonio confirmat, in Commentario in Psalmum LXXVII. hunc in modum differens: *Rectus est Deus: & ideo recte adherens tanquam incommutabili regula, potest fieri rectum, quod in se fuit pravum cor hominis. Ut autem cor cum illo sit, & per hoc rectum esse possit, accedit ad Eum, non pede, sed fide. Ideo etiam dicitur in Epistola ad Hebraeos de illa ipsa generatione prava & amaricante: non profuit sermo auditus illis, non contemperans fidei eorum qui obaudierunt. Voluntas igitur, qua est in corde recto, paratur à Domino: fide procedente, quia acceditur ad Deum directum, ut cor fiat rectum. Quae fides preveniente & vocante misericordia per obedientiam suscitatur, & applicare incipit ad DEUM cor ut dirigatur, & quanto magis magisque dirigitur, tanto magis videt, quod non videbat, & valet quod non valebat:**

§. XI. Quando autem ab Apostolo dicitur: *Corde creditur ad justitiam*: nequaquam aliquam tantum cordis partem requirit fideique vindicat, sed cor totum atque integrum exigit. Quemadmodum enim Deus diligendus est non ex aliqua tantum cordis parte, sed ex corde toto, secundum Christi mandatum Matth. XXII, 37. ita etiam toto corde in Eundem credendum est. Hinc Philippus ab Eunuchis, cum is baptizari & Christianorum societati aggregari cuperet, fidem totius cordis postulavit, *si credideris*, inquit, *ex toto corde, licet*, Act. VIII, 37. Qui itaque credere vult ad justitiam, toto corde credere debet, & fide sincera & infucata amplecti Christum Eiusque verbum totumque illud fidei objectum, de quo antea dictum est. Non enim licet cor ita partiri, ut quis ex altera ejus parte credere, ex altera vero non credere, vel aliter credere, atque sentire velit: non licet, exempli gratia, ex parte cordis sui fiduciam collocare in Deo vero & unico, ex

parte vero in eo qui non est DEus : hæc enim non pura & sincera cordis fides, sed fœda confusio foret, quemadmodum Sanctus Rex idemque Propheta testatur, Psalmo XCVI, v. 7. *Confundantur omnes, inquit, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis.* Unice namque in Deo vero atque unico, qui cœlum & terram condidit, Ejusque Filio Domino nostro Jesu Christo, pro nobis mortuo & ex mortuis resuscitato gloriandum, omnisque cordis nostri fiducia reponenda est; qui etiam totum cor nostrum ad cultum honoremque suum à nobis exigit, nullamque ejus partem alteri concedere vult, ut Ipsemet Jesaj. XLII, v. 8. testatur, *Ego Dominus, inquit, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus.* Non etiam licet ex una parte cordis sui credere, per Gratiam Domini nostri Jesu Christi justitiam & salutem consequi; ex altera vero simul statuere, legis operibus suaque propria dignitate eandem mereri. Vide quæ supra §. 6. dicta sunt. Toto denique corde creditur ad justitiam, ita ut non tantum intellectus, altera cordis pars, Deum atque Redemptorem nostrum, Verbumque Ejus & salutis ordinem in eo præscriptum cognoscat, eique assentiatur, sed ut voluntas quoque Deo & Filio Ejus Jesu Christo Ejusque Verbo conformetur, & certa ac constanti fiducia in Eodem acquiescat, uti mox pluribus indicabitur.

Fidei Partes.

Assensus.

Scientia

§. XII. Post objectum & Subjectum fidei & Confessionis hæctenus expositum, dicendum etiam est de *Fide ipsa*, quid illa sit & quænam ab Apostolo intelligatur. Esse illam *assensum*, quem homo præbet doctrinæ de Jesu Christo, Verboque Divino totum ordinem de salute nostra æterna complectenti, communiter quidem Interpretes diversarum partium agnoscunt, sed non eodem sensu & modo. Nam Bellarminus, Cornelius à Lapide & alii qui easdem cum illis partes sequuntur, ita assensum esse statuunt, ut scientiam & fiduciam esse negent. Nostri vero Doctores & scientiam & assensum & fiduciam fidem esse statuunt, idque ex manifestis & certis Scripturæ Sacræ fundamentis. Et quidem quod fides *Scientia* sit, qua credens novit & sciat quid & cui credat, ipse Apostolus noster suo testatur exemplo, in 2. Ep. ad Tim. C.I, v. 12. *Scio*, inquit,

cui credidi. Unde etiam non Paulus tantum sed etiam Petrus passim in Epistolis suis fidem ἐπίγνωσιν, scientiam appellant, uti nec Estius diffiteri potuit in Commentario in Cap. I, 2. Ep. Petri, ad vers. 8. *Cognitionem*, inquit, *Græce ἐπίγνωσιν*, pro fide jam tertio posuit, quemadmodum rursus in fine Epistola. In ipsa etiam Epistola ad Rom. Cap. IV, v. 21. ubi Abrahami fidem describit & commendat, diserte dicit, quod fuerit plenissime sciens. Pari itaque sensu & consensu cum Apostolo nos quoque statuimus, credentem debere esse scientem, & fidem scientiam. Sed præter scientiam & assensum, fiduciam quoque fidem esse, ostendimus ex emphaticis illis nominibus & descriptionibus quæ in Sacris Literis passim occurrunt, notabimus autem tantum ex Epistolis Paulinæ nonnulla, & Apostolum ipsum suæ pariter atque nostræ sententiæ Interpretem ac testem allegabimus: Sunt autem illa nomina παρρησία, πεποιθήσις, πληροφορία, &c. In Epistola ad Rom. Cap. V, v. 1. ait: per Christum habemus accessum per fidem ad gratiam illam in qua stamus: hanc vero fidem per quam accessum habemus appellat παρρησίαν in Epist. ad Hebr. Cap. IV, v. 16. quam vocem ipse vulgatus Interpretes expressit per fiduciam, *adeamus*, inquit, *cum fiducia ad thronum gratiæ*: adeoque ex iudicio & interpretatione Vulgati Interpretis fides est fiducia. Idem vero confirmatur ex aliis adhuc Apostoli locis, in quibus fidei hujus, per quam ad Gratiam DEI accessum habemus, mentionem facit, nempe ex Ephes. III, 12, ubi eidem παρρησίαν & πεποιθήσιν adscribit, aitque, uti verba Latina Vulgati Interpretis habent, *in quo, Christo Jesu, habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem.* In Epistola ad Hebræos Cap. X, v. 19, 22. eandem fidem iterum παρρησίαν & præterea πληροφορίαν appellat, ubi Vulgatus Interpretes iterum quoque per fiduciam Vocabulum Græcum expressit, sic enim verba Latina habent: *Habentes itaque, fratres, fiduciam, in introitu Sanctorum in sanguine Christi, accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei.* Ut plura dicta addamus minus necessarium videtur, hæc enim sufficienter & manifeste restantur, fidem esse fiduciam, & quidem ex mente & sententia Vulgati Interpretis, cujus auctoritatem Ecclesiæ Romanæ Doctores

Fiducia.

Doctores tanquam authenticam venerantur, ex Decreto Concilii Tridentini.

Firma.

§. XIII. Est autem fides fiducia talis, qua credens non hæsitat, non ambigit de promissione divina, sed firmiter & toto corde in eadem acquiescit. Sic enim Apostolus ipse fidei naturam nobis descripsit in Epistola ad Romanos Cap. IV, v. 19. & seq. ubi Abrahami, Patris omnium credentium fidem in exemplum adduxit, eandemque auditoribus suis ad piam imitationem proposuit, ea ratione, ut diserte hæsitantiam atque animi ambiguitatem à fide removerit, eandemque ob animi firmitatem & plenissimam certitudinem, qua in divina promissione acquievit Sanctus Pater, inprimis commendaverit, *non infirmatus est, inquit, in fide &c. in promissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quod quæcunque promissit Deus, potens est & facere; Ideo & reputatum est illi ad justitiam. Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quod reputatum sit illi ad justitiam, sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum à mortuis: qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Hanc fidei firmitatem de qua verbis hisce tam præclare testatur Apostolus, agnoverunt quoque antiqui Christianæ Ecclesiæ Doctores, locum hunc Apostoli enarrantes. *Ambrosius*, vel quicumque istius Commentarii Author est, hæc annotavit: *Hortatur Apostolus gentes ad hanc fidei firmitatem, ut Dei promissionem & gratiam, sine aliqua ambiguitate suscipiant, securi exemplo Abrahæ: quia inde credenti laus crescit, si quod incredibile est, & mundo stultum videtur, credatur. Sedulius* priora Commentarii Ambrosiani verba, de firmitate fidei Abrahami, in suas quoque Annotationes transtulit. Alius vero Commentarius qui *Hieronimo* vulgo adscribitur, hanc notam adjecit: *Tam perfecte & firmiter credidit Abrahamus, atque mox subjungit, exemplum hoc nobis præscriptum esse, non ut ejus solum fidem sciremus, qua Domino placuit, sed ut & nos sequeremur.*

§. XIV.

§. XIV. Eadem fides est quoque fiducia talis, qua credens promissionem divinam generaliter omnibus factam, speciali ratione sibi applicat: adeoque quando Apostolus ait: *Si in corde tuo credideris, quod Deus illum (Christum) resuscitaverit à mortuis, salvus eris*: talem fidem intelligit, qua credens, facta speciali applicatione, statuit & credit, Christum pro se quoque mortuum & resuscitatum esse. Improbant quidem hanc fiduciam & applicationem specialem Cornelius à Lapide atque alii qui cum eo sentiunt, unde in Commentario ad locum nostrum ille hunc in modum differit: *Hinc patet, fidem justificantem non esse specialem; qua credam mihi in particulari remissa esse per Christum peccata. Apostolus enim non docet, illud esse objectum fidei, esseque credendum, sed hoc, quod scilicet Christus resurrexit à mortuis. Verum plane frustra & sine omni fundamento hæc dicuntur: nam licet in nostro loco Apostolus generaliter doceat, credendum esse, quod Deus Christum suscitaverit à mortuis; per hoc tamen specialem illam applicationem, de qua diximus, non excludit, sed includit potius, quemadmodum ex aliis Apostoli testimoniis satis clare patet, nam in Epistola ad Galat. C. II, v. 20. differitis verbis testatus est, se ipsum cum tali speciali applicatione credidisse, quod enim inquit, *nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui me dilexit & tradidit seipsum pro me*. Dubio procul vero Apostolus non aliam fidem in loco nostro intellexit, ac talem, qualem ipse habuit, atque, ut alii quoque Christiani haberent atque imitarentur, suo exemplo præivit. Eadem specialis applicatio traditur quoque ab Apostolo in Epist. ad Philipp, C. I, v. 21. ubi ait: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum*: his enim verbis indicavit, se non tantum generaliter credidisse, quod Christus resurrexerit à mortuis, & hominibus vitam restituerit; sed credidisse se cum fiducia & applicatione hac speciali, quod Christus pro se in particulari quoque resurrexerit, sibi que in particulari vitam æternam acquisiverit post mortem suam donandam: hinc ait, non tantum in genere: Christus est vita hominum: sed cum speciali applicatione: Christus est mea vita. *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.**

Specialiter
applicans
Gratiam
Christi,

C

§. XV.

Et animum
atque affe-
ctum Christi.

§. XV. Quemadmodum vero credens per fidem sibi applicat promissionem divinam de Gratia Dei & redemptione Domini nostri Jesu Christi, omnibusque illis beneficiis, quæ Ille sua passione & resurrectione nobis acquisivit: sic quoque sibi applicat Christi animum atque affectum, ut inter intellectum & voluntatem credentis & inter Christum, vere Christiana oriatur conformitas, adeo ut intellectus credentis ea cogitet, & voluntas ea eligat atque desideret quæ Divina, quæ Christiana sunt. Ex hac applicatione Christi per fidem oritur in credente vere Christiana mens, quæ abjecto sensu & affectu terreno, affectum & sensum Christianum induit, Christoque conformem: inde etiam oritur novæ vitæ propositum, quod in fiducia fidei includi Theologi nostri docent: qui enim vera fide Christi gratiam, & cum ea eundem animi affectum sibi applicat, hoc ipso quoque novum assumit propositum, totam vitæ suæ rationem Christo conformandi & juxta beneplacitum Ejus instituendi. Hanc vero animi & affectus Christiani applicationem, & arctissimam in eodem Christi & credentis conjunctionem passim docet atque inculcat Scriptura Sacra, quando in Epist. ad Eph. III, 17. testatur: *Christum per fidem habitare in cordibus nostris, & corda nostra ita sibi amico nexu conjungere, ut idem cum Eo sentiant & sapiant: quando in Ep. ad Philip. II, 5. requirit, τὸ το φρονεῖσθε ἐν ὑμῖν ὡς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, hoc sentiatur in vobis, sive, idem affectus sit in vobis, qui est in Christo Jesu. Hic sensus & affectus Christianus opponitur sensui & affectui carnali, quod ducuntur homines carnales & increduli, quem vero exuunt credentes, fide accipientes Spiritum Christi, Gal. III, 2. ipsorum spiritum renovantem & Christo conformantem, ut non amplius terrena & carnalia cogitet, sentiat, desideret, sed Christiana & Cœlestia. Hunc sensum Christi & Spiritus ejus quem cum Gratia Christi applicant sibi per fidem atque induunt credentes, appellat Scriptura Rom. VIII, 6. φρόνημα τοῦ πνεύματος, prudentiam, sive, sensum spiritus, eidemque directe opponit φρόνημα τῆς σαρκὸς, prudentiam, sive, sensum carnis, asseritque sensum illum spirituales & Christianum ita necessario convenire atque inesse credentibus, ut sine ipso nequaquam vere credentes & Christi amici esse possint, sensu*

sus enim carnis, inquit, inimicitia est contra Deum: legi enim Dei non subjicit se, neque etiam potest. Qui vero in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos vero non estis in carne, sed in Spiritu, siquidem Spiritus Dei habitat in vobis. Si vero quis Spiritum Christi non habet, non est ipsius. Quicumque itaque per fidem apprehendere vult Christi gratiam, eamque sibi applicare, apprehendere quoque & sibi applicare debet Spiritum Christi, & per Spiritum Ejus, Christianum & Spiritualem animi sensum atque affectum, Christo Domino atque Amico suo summo, quippe pro ipso mortuo ac resuscitato, per omnia similem & conformem.

§. XVI. Multum itaque habet in recessu phrasidis Apostoli: *Corde credere quod Deus Christum resuscitavit à mortuis: qui enim vere credit, quod Christus propter peccata nostra mortuus & propter justitiam nostram resuscitatus sit, ille, ut modo audivimus, animi sensum atque affectum Christo per omnia similem & conformem induit: & vere Christianum propositum animo suo concipit, cum Christo, pro peccatis nostris mortuo, peccatis vicissim moriendi, & cum Christo propter nostram justitiam resuscitato, ad novam quoque justamque vitam resurgendi: qui hoc animo, hoc sensu & proposito Christum non amplectitur, ille bona fide Eum non amplectitur, nec vere in Christum mortuum ac resuscitatum credit. Per fidem enim & Baptismum Christo tam arcte jungimur, ut cum mortuo commoriendum & cum resuscitato una resurgendum nobis esse scire debeamus. Apostolus, certe, hanc fidem in Christum Romanos suos docuit, & ne qui inter eos essent, qui ignorantiam suam prætenderent sedulo cavet: *Num ignoratis, inquit, quod quicumque baptizati sumus in Christum & Esum, in mortem ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus resuscitatus est à mortuis, per Gloriam Patris: ita & nos in novitate vite ambulemus, &c. hoc scientes, quod Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruat corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. &c. Quod enim Christus mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo, ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Do-**

mino nostro. En! qualem animum animique affectum creden-
tibus addat fides in Christum, qui pro nobis mortuus & re-
fuscitatus est. Confirmat eundem Apostolus noster in Epist.
ad Coloss. Cap. III, v. 1. & seq. *Si consurrexistis cum Christo,*
quæ sursum sunt querite, ubi Christus est, in dextra Dei sedens.
Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terra: mortui enim estis,
& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: cum autem
Christus apparuerit, vita vestra, tum & vos apparebitis cum
ipso in Gloria. Hæc est fides illa in Christum mortuum &
refuscitatum, quam Apostolus in verbis nostris docet, quam-
que corde tenere nos jubet, corde puro & sincero puram &
sinceram.

Fidei finis.

§. XVII. Finis vero bonumque illud, quod hæc fides
consequitur est justitia, nam *corde*, inquit Apostolus, *creditur*
ad justitiam. Justitiam vero intelligit non civilem, sed divi-
nam illam & spiritualem, qua coram Deo ejusque judicio justii
reputamur & sumus. Justitiam illam, qua ob naturam peccato
corruptam carent homines omnes, Judæi pariter & Græci, quam-
que suis viribus atque operibus secundum legem nunquam præ-
stare potuissent, ut Apostolus noster in Epist. ad Rom. Cap. III.
pluribus exponit. Justitiam illam, qua Deus peccatoribus pec-
cata sua remittit, eosque in gratiam suam recipit, sic enim Apo-
stolus ipse eam describit Rom. Cap. III. v. 25. *Proposuit Deus,*
inquiens, Christum propitiatorium ad ostensionem justitiæ suæ per
remissionem precedentium delictorum. Et Cap. IV, v. 7. testa-
tur beatitudinem & justificationem hominum in eo consistere,
quando DEUS non imputat iis peccata sed remittit, eumque
in finem allegat dictum Davidis ex Psalmo 32. *Beati quorum*
remissa sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata. Beatus
vir cui non imputabit Dominus peccatum. Hanc vero justitiam
fidei tribuit, eamque nos per fidem consequi, docet, hoc enim
phrasis ab Apostolo adhibita, *eis dicitur ad justitiam*, innu-
it, uti Thomas Aquinas in Comment. ad verba nostra agnoscit,
Corde enim, scribit, *creditur ab homine ad justitiam, id est, ad*
hoc, ut justitiam per fidem consequatur, supra Cap. V. justificati
igitur ex fide. Per fidem vero non tanquam per opus & meri-
tum nostrum. Nam diserte Apostolus gloriam justificandi
meritis

meritis atque operibus nostris ita abjudicat, ut non nisi Dei gratiæ eandem adscribat, per fidem eam nobis gratis donantis, sic enim verba ejus Rom. III, 19. 20. 21. & seq. habent: *Scimus autem quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro. Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata à lege & Prophetis. Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in Eum. Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei: justificantur autem gratis, per gratiam ipsius, per redemptionem qua est in Christo Jesu.*

§. XVIII. Consequitur autem fides justitiam, ut medium à Deo ad hoc ordinatum, & ut Organon Christum, & in Christo justitiam quæ coram Deo valet apprehendens, & Gratiam Ejus nobis applicans: Christus enim propter peccata nostra abolenda mortuus est, & propter justitiam nobis recuperandam resuscitatus est; adeoque quod morte ac resurrectione sua præstitit & acquisivit, nobis præstitit & acquisivit, ut per fidem nostrum fieret ex gratuito Dei instituto. Hinc quando peccator pœnitens Christum & justitiam Ejus, quæ est mortis & resurrectionis Ejus beneficium, apprehendit sibi que applicat, Deus ex mera gratia, per fidem ei imputat justitiam, & propter Christum peccata eidem remittit; ideo etiam in scriptura fides nobis dicitur reputari ad justitiam. Licet vero Doctores Pontificii justitiam imputativam quam docemus rejiciant, eamque tanquam Commentum Lutheranorum traducere soleant, ab ipso tamen Apostolo passim in Epistola ad Romanos proposita & confirmata est, & quidem adhibita hac ipsa phrasi, qua nos uti, & justitiam per fidem nobis imputari, sive, fidem in Jesum Christum, qui pro nobis mortuus & resuscitatus est ad justitiam nobis reputari, dicere solemus. Unicum Caput IV. luculentissimum & certissimum hujus rei præbet testimonium, quippe in quo Apostolus Abrahamum tanquam justificationis exemplum adducit, & disertis verbis testatur multoties, fidem ipsius reputatam ipsi fuisse ad justitiam, nam vers. 3. *Abraham, inquit, credidit Deo, & reputatum est illi ad justitiam;* post varias autem hujus reputationis atque imputationis repetitiones, tandem vers. 23. 24. totum Caput hunc in modum concludit: *Non est autem tantum scriptum propter ipsum, Abrahamum,*

hamum, quia reputatum est illi ad justitiam, sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in Eum, qui suscitavit Jesum Christum, Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.

Confessio.

Connexio
Verborum.

§. XIX. Diximus hactenus de fide cordis, de qua Apostolus ait: *Corde creditur ad justitiam*. Dicendum itaque ulterius est de Confessione oris, de qua Apostolus noster sic pergit: *σώματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν, ore autem Confessio fit ad salutem*. Notamus hic, Imo verborum horum cum præcedentibus cohærentiam, & quæ inde pendet, cordis & oris, & fidei & confessionis arctissimam connexionem. Verborum cohærentia indicatur particula, δὲ, quàm vulgatus transtulit, *autem*, B. Schmidius noster, *vero*, Beza, *autem*, varias hanc particulam habere significationes Philologi observant: *interdum enim oppositionis seu differentia signum est*, uti Matthæus Devarius in erudito de Græcæ Linguæ particulis libro p. 96. annotat, ubi tamen, post aliqua interjecta subjungit: *Æquivalet etiam τὸ καὶ, συμπλεκτικῶς, sive, & copulativo, idque alatis nonnullis exemplis ostendit, in quibus δὲ pro καὶ accipi manifestum esse ait*. Facit hæc observatio ad faciliorem loci nostri explicationem, in quo dicta particula non quidem oppositionis sed conjunctionis signum est. Neque enim Apostolus fidem cordis confessioni oris opponere, vel alteram ab altera separare atque dicere voluit: *Corde creditur ad justitiam, ex opposito vero ore confessio fit ad salutem*, nequaquam: sed alteram potius cum altera conjungere, & fidem cordis & confessionem oris arctissimo nexu inter se copulare intendit, hoc sensu: *corde creditur ad justitiam, & ore fit confessio ejus fidei, quæ in corde est, ad salutem*. Hunc sensum copulativum confirmat ipse Apostolus noster, suo eoque manifesto testimonio, uti ex præcedentibus verbis constat, in quibus pro particula, δὲ, *vero*, particulam, καὶ, &, adhibuit, scripsitque: *si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum resuscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem Confessio fit ad salutem*.

§. XX. Hæc verborum connexio admonet nos arctissimæ
illi-

illius convenientiæ quæ inter fidem cordis & confessionem oris intercedit, de qua porro agendum est. Conveniunt nimirum inter se *ratione originis*, & habet utraque eandem causam efficientem, Deum, nempe, & Spiritum Sanctum per verbum divinum, uti fidem cordis, ita quoque confessionem oris operantem; inde etiam à Spiritu Sancto, tanquam Spiritu fidei, Confessio & verba oris quæ fideles loquuntur, procedere dicuntur 2. Cor. IV, 13. Conveniunt etiam inter se *ratione objecti*, circa quod versantur, quod utrique commune atque idem prorsus est; id enim indicat Apostolus in verbis nostris, *si confitearis, in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore vero confessio fit ad salutem*: quibus confessioni oris, objectum assignat *Dominum Jesum*, & fidei cordis hoc, *quod Deus illum suscitavit à mortuis*: quæ sane unam eandemque rem describunt, circa quam fides cordis credendo, & confessio oris confitendo versantur, quæ est Deus, Dei que Filius, Dominus noster Jesus Christus, pro nobis mortuus & à Deo ex mortuis resuscitatus: de quo objecto quoniam supra §. IV. & seq. ex professo diximus, hoc loco plura non addemus.

Nota convenientiæ inter fidem cordis & confessionem oris, ratione originis,

Objecti,

§. XXI. Innuit quidem Apostolus aliquam utriusque differentiam, partim diversorum subjectorum mentione, partim diversa verborum forma expressam: fidei enim subjectum cor facit, os vero Confessionis: corde enim fidem Jesu Christi recipimus, ore vero eandem confitemur: corde credimus doctrinam de Gratia Jesu Christi, ore vero eandem eloquimur. In corde latet fides quasi recondita, ex ore vero procedit in apertum: in corde fides nascitur, oris vero confessione propagatur & continuatur: & pro diversitate horum subjectorum diversa etiam verborum forma utitur Apostolus, credere cordi, confiteri autem ori adscribens. Ex hac tamen sive subjectorum, sive formalium verborum denominantium distinctione, nulla concipienda est fidei & confessionis, quod rem ipsam attinet, diversitas, sed permanet utriusque pulcherrima convenientia, quemadmodum ex illis quæ de confessione oris amplius dicenda sunt, facile constabit.

Utriusque differentia.

§. XXII. Varias quidem significationes habet vocabulum, *Confessio*, quarum Thomas Aquinas in Comment. ad locum nostrum nonnullas annotavit, vel enim significat propriæ iniquitatis, sive, *pecc-*

Confessio, quid?

pec-

peccatorum confessionem: vel laudem & gratiarum actionem pro acceptis à Deo beneficiis: vel confessionem divinæ veritatis, de qua Christus Matth. X, 32. ait: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus &c.* quam ultimam confessionem credentis etiam hujus loci esse statuit Thomas. Est quoq; alia adhuc vocis acceptio, quam Chemnitius in Locis Part. III. f. 26. hunc in modum expressit: *Verbum ὁμολογία sæpius usurpatur de doctrina in ministerio 1. Joh. IV, 2. omnis spiritus qui confidetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est, &c.* quam significationem loco nostro accomodat, scribit enim: *loquitur de prædicatione verbi, & ei adjuncta fide: qua ratione verborum Apostoli sensus sic foret exprimendus: corde concipitur fides & creditur ad justitiam, ore vero ministrorum fit verbi de Gratia Domini nostri Jesu Christi prædicatio ad salutem hominum.* Hanc quidem expositionem non reprehendimus, observamus tamen, magis placere aliis, etiam ex nostris Interpretibus, illam sententiam, quæ Confessionem fidei de Gratia Domini nostri Jesu Christi intelligit, omnibus vere & perseveranter credentibus communem, quam etiam nos amplectimur. Fitq; hæc confessio oris vel in quotidiana Divini Nominis invocatione à vere credentibus, de qua in verbis paulo post sequentibus ipse Apostolus noster loquitur, *omnis, inquit, quicumq; invocaverit nomen Domini salvus erit. Quomodo vero invocabunt, in quem non crediderunt?* vel fit tempore persecutionis, ubi fidei ratio reddenda & id quod corde premimus ore enunciandum est. Hæc vero confessio oris non est consideranda, ut opus aliquod nostrum à fide justificante & salvante separatum & diversum, ut illi volunt, qui per opera nostra salutem nos mereri contendunt; sed in rei veritate est ipsa illa fides cordis ore prolata, nam confiteri est nihil aliud quam id fateri quod in corde sentimus, & si quis contrarium ejus quod in corde credit loqueretur, non confiteretur, sed mentiretur: quemadmodum etiam Glossa ordinaria habet, ad locum nostrum frequentia annotans: *Confiteri est dicere quid sit in corde: aliter loqui est non confiteri.* Nam, ut B. Calovii verba habent in Annotationib. Anti-Grotianis ad locum nostrum, *fidem & confessionem conjungit Apostolus, quod fides quidem nunquam sit sine confessione, seu virtuali & actus primi, seu actuali, vel actus quem vocant secundi, seu expressa, seu tacita & interpretativa.* Confessio hæc, de qua
Apo-

Apostolus loquitur, *corde creditur ad justitiã, ore autem confessio fit ad salutem*: est actus fidei continuatus, & involvit fidem perseverantem: neque etiam fides perfecta, sincera & perseverans esse posset, sine Confessione: licet enim aliquis ex verbo Evangelii fidem corde concepisset, & aliquandiu credidisset, & justitiam ex fide consecutus fuisset, si tamen eo tempore quo fidei confessio edenda erat, defecisset, atque abnegasset ore fidem corde conceptam, ille utique hoc ipso & fidem & justitiam perdidisset, & esset ex illorum numero, de quibus Christus ipse Luc. VIII, 13. *radices non habent, inquit, ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Fides cordis sincera, firma, perseverans, & confessio oris, indivulso & reciproco nexu intime cohærent: ideo enim quia corde creditur ad justitiam, etiam ore fit confessio ad salutem: & ideo quia ore confessio fit ad salutem, etiam corde creditur ad justitiam: quam connexionem quoque David Psalmo CXV. v. 1. indicat, *credidi, inquit, propter quod locutus sum*: quæ verba Augustinus hunc in modum in Commentario suo edisserit: *Credidi, propter quod locutus sum: hoc est, perfecte credidi. Non enim perfecte credunt, qui quod credunt loqui nolunt. Ad ipsam enim fidem pertinet etiam illud credere, quod dictum est: qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor eum coram Angelis Dei.* Cum vero Rex pius, & fidelis confessor prioribus verbis: *Credidi, propter quod locutus sum*: sequentia addidisset: *Ego autem humiliatus sum nimis*: B. Pater Augustinus sequentem addidit declarationem: *Passus enim est multas tribulationes propter verbum quod fideliter tenebat, fideliter impendebat, & humiliatus est nimis. Quod illi timuerunt, qui amaverunt gloriam hominum magis quam Dei.* Ex his vero facile constare potest, quo sensu & fine Apostolus noster fidem cordis & confessionem oris conjunxerit, nempe ideo, ut ostenderet, qualis fides justificans & salvans esse deberet, nimirum non hypocritica sed sincera & aperta, non abrupta sed continua, non deficiens in tribulationibus & persecutionibus, sed perseverans in confessione ad finem usque.


Ejus scopus.

§. XXIII. Huic autem Confessioni Apostolus salutem tribuit, *Corde, enim ait, creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ubi primo notandum est, quod, quando

D

Con-

Confessione salutem adscribit, id non ideo faciat, quasi fidei salutem adscribere noluerit, hanc enim opinionem Apostolus ipse refellit, quippe qui passim docuit, nos fide salvari: expresse enim in Epistola ad Ephes. Cap. II, v. 8. *Gratia, inquit, salvati estis, per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur.* Quin & Christus ipse fidei salutem & vitam æternam adscripsit Joh. III, 16. *Ita DEUS dilexit mundum, inquit, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam.* Quod ipsum ex aliis etiam Scripturæ Sacræ testimoniis constat. Hinc recte & cum Doctrina Christi & Apostoli plane conformiter dicitur: corde creditur ad justitiam: & corde creditur etiam ad salutem; si nempe, fides illa cordis sincera, continua & perseverans est ad finem usque, nec, confessione abjecta, deficit. Porro notandum, quod Confessione salus attribuitur, non ut operi nostro meritorio, à fide diverso & separato, quasi, nempe, nos præter Gratiam Christi & fidem in illum, salutem æternam consequeremur etiam per merita nostrorum operum, exempli gratia, per confessionem, ut opus bonum à fide diversum & separatum: nequaquam: nam ut antea indicavimus, hæc confessio de qua Apostolus loquitur, non denotat opus aliquod nostrum à fide justificante & salvante diversum & separatum, sed ad fidem ipsam pertinent, ejusque continuationem & perseverantiam indicat; & Apostolus noster alibi expressis verbis meritis & operibus nostris justitiam & salutem derogat, ut imprimis ex loco Eph. II, v. 8. antea citato, & ex Gal. II 16. manifestum est: quando enim ibi ait: *gratia salvati estis, per fidem, &c. non ex operibus;* manifeste hoc nobis concludendum relinquit: Si non ex operibus, ergo, nec ex confessione, quatenus illa ut nostrum opus spectatur. Verum, ut tandem dicamus quid res sit, Apostolus adscribit salutem Confessione, quæ ad fidem pertinet, quæ fidei perseverantis pars ejusque continuus actus est, nam fidei perseveranti ad finem usque DEUS salutem promisit, non deficienti: adeoque particula *ad*, quando Apostolus ait: *Ore fit confessio ad salutem*, non denotat causam salutis meritoriam, quasi nimirum credens per suam confessionem, tanquam per bonum suum opus, salutem promereret; sed indicat ordinem Gratiæ Divinæ, DEUS enim hunc ordinem instituit, ut homines per fidem justificarentur & salvarentur, non per fidem hypocriticam & deficientem, sed per fidem sinceram & in sincera Confessione ad finem usque perseverantem, expresse enim Christus Matth. XXIV, 13. *Qui perseveraverit, inquit, usque in finem, hic salvus erit.* Hucusque loci nostri explicatio; cui jam Quæstiones nonnullas subjungemus, quarum decisio ex explicatione tradita dependet.



Coll. dess. A. 228, Misc. 43